

infirmis, in qua injuste iudicatus est, sed in forma gloriosa, in qua ad Patrem ascendit: unde locus ascensionis magis competit iudicio quam locus ubi condemnatus est.

Ad tertium dicendum, quod nubes hic appellantur, ut quidam dicunt, quaedam densitates lucis resplendentis à corporibus Sanctorum, & non aliqua evaporationes ex terra, & aqua. Vel potest dici, quod nubes illae generabuntur divina virtute ad ostendendum conformitatem in adventu ad iudicium & ascensione; ut qui ascendit in nube, etiam in nube ad iudicium veniat. Nubes etiam propter refrigerium misericordiam indicat iudicantis.

### QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de innovatione mundi: & circa hoc quaeruntur quinque.

Primo. Utrum innovatio mundi sit futura.

Secundo. Utrum mundo innovato motus corporum caelestium cesset.

Tertio. Utrum caelestia corpora majore claritate resplendant.

Quarto. Utrum elementa aliqua claritatis gloria ornentur.

Quinto. Utrum animalia bruta, & plantae, & corpora mineralia maneat.

### ARTICULUS I.

Utrum mundus aliquando innovabitur.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod mundus numquam innovabitur. Nihil enim est futurum, nisi quod aliquando fuit secundum speciem. Eccles. 1.9. *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est.* Sed numquam mundus aliam dispositionem habuit quam nunc habet quantum ad partes essentielles, & ad genera, & species. Ergo numquam innovabitur.

2. Praeterea. Innovatio alteratio quaedam est. Sed impossibile est universum alterari: quia omne alteratum reducitur ad aliquod alterans non alteratum, quod tamen secundum locum movetur; quod non est extra universum ponere. Ergo non potest esse quod mundus innovetur.

3. Praeterea. Genes. 1. dicitur, quod Deus die septimo requievit ab omni opere quod pararat: & exponunt Sancti, Chrysost. hom. x. in Gen. & Augustinus Lib. IV. sup. Gen. ad litt. cap. xxi. quod requievit à novis creaturis condendis. Sed in illa prima conditione non fuit alius modus rebus impositus quam iste quem nunc naturali ordine tenet. Ergo numquam aliam habebunt.

4. Praeterea. Ista rerum dispositio quae nunc est, rebus est naturalis. Si ergo in aliam dispositionem transmutentur, illa dispositio erit eis innaturalis. Sed illud quod est innaturale, & per accidens, non potest esse perpetuum; ut patet I. caeli, & mundi (text. xv. & cxxxiv.) Ergo etiam illa dispositio novitatis quandoque ab eis removebitur; & ita erit ponere circulationem quamdam in mundo, sicut Empedocles, & Origenes posuerunt, ut post hunc mundum sit iterum alius mundus, & post illum iterum alius.

5. Praeterea. Novitas gloriae in praemium ratio-

(1) Sic tantum vetera exempla. Nicolai. Ergo debet homini congruere. Sed homo &c. (2) Al. ejus.

(3) Al. non naturale.

nali creaturae datur. Sed ubi non est meritum, non potest esse praemium. Cum ergo creaturae insensibiles nihil meruerint, videtur quod non innovabuntur.

Sed contra est quod habetur Isai. lxxv. 17. *Ecce ego creo novos caelos, & novam terram; & non erunt in memoria priora: & Apocal. xxi. 1. Vidi caelum novum, & terram novam: primum enim caelum, & prima terra abiit.*

Praeterea. Habitatio debet habitatori congruere. Sed mundus factus est, ut sit habitatio hominis; (1) Sed homo innovabitur. Ergo & mundus innovabitur.

Praeterea. Omne animal diligit suum simile. Eccles. xlii. ex quo patet, quod similitudo est ratio amoris. Sed homo habet aliquam similitudinem cum universo, unde & minor mundus dicitur. Ergo homo universum diligit naturaliter: ergo & ejus bonum concupiscit; & ita, ut satisfiat hominis desiderio, debet etiam universum meliorari.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur, unde & omnia dicuntur ei esse subjecta. Serviant autem ei dupliciter. Uno modo ad sustentationem vitae corporalis; alio modo ad profectum divinae cognitionis, in quantum homo per ea quae facta sunt, invisibilia Dei conspiciat, ut dicitur Rom. 1. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit, cum ejus corpus omnino incorruptibile sit futurum; virtute divina id faciente per animam, quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam, quia tali cognitione Deum Sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit: & ideo ut (2) ei solatium congruens sibi de visione Divinitatis praebeatur, inspiciet Divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifeste iudicia divinae majestatis apparebunt, & praecipue in carne Christi, & post hoc in corporibus beatorum, & deinceps in omnibus aliis corporibus: & ideo oportebit ut etiam alia corpora majorem influentiam à divina bonitate suscipiant, non tamen speciem variantem, sed addeantem cujusdam gloriae perfectionem; & haec erit mundi innovatio: unde simul mundus innovabitur, & homo glorificabitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Salomon ibi loquitur de cursu naturali; quod patet ex hoc quod subditur: *Nihil sub sole novum.* Cum enim sol circulariter moveatur, oportet ea quae solis virtuti subsunt, circulationem aliquam habere, quae consistit in hoc quod illa quae priora fuerunt, iterum redeunt specie eadem, numero diversa; ut dicitur in fine Libri de generatione. Ea vero quae ad statum gloriae pertinent, soli non subsunt.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de alteratione naturali, quae habet agens (3) naturale, quod ex necessitate naturae agit: non enim potest tale agens variam dispositionem inducere, nisi ipsum alio modo se habeat. Sed ea quae divinitus fiunt, procedunt ex libertate voluntatis: unde sine aliqua immutatione Dei volentis potest nunc, haec, nunc illa dispositio ab ipso in universo existere: & sic ista innovatio non reducitur in aliquod principium motum, sed in principium immobile, scilicet Deum.

Ad

(1)

### QUAESTIO II.

Ad tertium dicendum, quod pro tanto dicitur Deus die septimo à novis creaturis condendis cessasse, quia nihil postea factum est quod prius non praecesserit in aliqua similitudine secundum genus, vel speciem, vel ad minus sicut in principio seminali, vel etiam sicut in potentia obedienti. Dico ergo, quod novitas mundi futura praecessit quidem in operibus sex dierum in quadam remota similitudine, scilicet in gloria, vel gratia Angelorum: praecessit etiam in potentia obedientiae, quae creaturae (1) tunc est indita ad talem novitatem suscipiendam à Deo agente.

Ad quartum dicendum, quod illa dispositio novitatis non erit naturalis: nec contra naturam; sed erit supra naturam, sicut gratia, & gloria sunt supra animam naturam; & erit à perpetuo agente, quod eam perpetuo conservabit.

Ad quintum dicendum, quod quamvis corpora insensibilia non meruerint illam gloriam proprie loquendo, homo tamen meruit ut illa gloria toti universo conferretur, in quantum hoc cedit in augmentum gloriae hominis: sicut aliquis homo meretur ut ornatoribus vestibus induatur, quem tamen ornatum nullo modo ipsa vestis meretur.

### ARTICULUS II.

Utrum motus corporum caelestium in illa mundi innovatione cessabit.

#### IV. cont. Gent. cap. ult.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod motus corporum caelestium in illa mundi innovatione non cessabit. Quia Genes. vii. 22. dicitur: *Cunctis diebus terra frigus, & aestas, & hiems, nox, & dies non requiescent.* Sed nox, & dies, hiems, & aestas efficiuntur per motum solis. Ergo nunquam motus solis cessabit.

2. Praeterea. Hierem. xxxi. 35. dicitur: *Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae, & stellarum in lumine noctis, qui turbat mare, & sonant fluctus ejus.* (2) *Si steterint leges istae coram me, tunc & semen Israel numquam deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* Sed semen Israel numquam deficiet, sed in perpetuum permanebit. Ergo leges diei, & noctis, & fluctuum maris, quae ex motu caeli causantur, in perpetuum erunt: ergo motus caeli nunquam cessabit.

3. Praeterea. Substantia corporum caelestium semper erit. Sed frustra est ponere aliquid, nisi ponatur illud propter quod est factum: corpora autem caelestia ad hoc sunt facta, ut dividant diem, & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: Gen. 1. quod non possunt facere nisi per motum. Ergo motus eorum semper manebit; alias frustra (3) illa corpora remanent.

4. Praeterea. In illa mundi innovatione totus mundus meliorabitur. Ergo nulli corpori remanenti auferetur id quod est de sua perfectione. Sed motus est de perfectione corporis caelestis: quia, ut dicitur in II. caeli & mundi (text. lxxvi.) illa corpora participant divinam bonitatem per motum. Ergo motus caeli non cessabit.

5. Praeterea. Sol successive illuminat diversas partes mundi secundum quod circulariter movetur. Si ergo motus circularis caeli cesset, sequitur quod in

aliqua superficie terrae erit perpetua obscuritas, quod non convenit illi novitati.

6. Praeterea. Si motus caeli cesset, hoc non (4) est nisi in quantum motus aliquam imperfectionem in caelo ponit, utpote lassitudinis, vel laboris; quod non potest esse, cum motus ille sit naturalis, & caelestia corpora sint impassibilia, unde in suo motu non fatigantur, ut dicitur in II. caeli & mundi, text. 111. Ergo motus caeli nunquam cessabit.

7. Praeterea. Frustra est potentia quae non reducitur ad actum. Sed in quocumque situ ponatur corpus caeli, est in potentia ad alium situm. Ergo nisi reduceretur ad actum, potentia illa frustra remaneret, & semper esset imperfecta. Sed non potest reduci ad actum nisi per motum localem. Ergo semper movebitur.

8. Praeterea. Illud quod se habet indifferenter ad plura, aut utrumque attribuitur ei, aut nullum. Sed sol indifferenter se habet ad hoc quod sit in oriente, vel occidente: alias motus ejus non esset uniformis per totum, quia ad locum ubi naturalis esset, velocius moveretur. Ergo vel neuter situs attribuitur soli, vel uterque. Sed (5) nec uterque, nec neuter potest ei attribui nisi successive per motum: oportet enim, si quiescit, quod in aliquo situ quiescat. Ergo corpus solis in perpetuum movebitur; & eadem ratione omnia alia corpora caelestia.

9. Praeterea. Motus caeli est causa temporis. Si ergo motus caeli deficiat, oportet tempus deficere; quod si deficeret, oporteret quod deficeret in instanti: definitio autem instantis est in VIII. Physic. text. xi. quod est initium futuri, & finis praeteriti; & sic post ultimum instans temporis esset tempus, quod est impossibile. Ergo motus caeli nunquam cessabit.

10. Praeterea. Gloria non tollit naturam. Sed motus caeli est ei naturalis. Ergo per gloriam non ei tollitur.

1. Sed contra est quod dicitur Apocal. x. quod Angelus qui apparuit, juravit per viventem in saecula, quia tempus amplius non erit, scilicet postquam septimus Angelus tuba cecinerit, qua canente, mortui resurgent, ut dicitur I. Corinth. xv. Sed si non est tempus, non est motus caeli. Ergo motus caeli cessabit.

2. Praeterea. Isai. lx. 20. dicitur: *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur.* Sed occasus solis, & diminutio lunae ex motu caeli causatur. Ergo motus caeli quandoque cessabit.

3. Praeterea. Ut probatur in II. de generatione, text. lvi. motus caeli est propter continuam generationem in istis inferioribus. Sed generatio cessabit impleto numero electorum. Ergo motus caeli cessabit.

4. Praeterea. Omnis motus est propter aliquem finem, ut dicitur in II. Metaphysic. text. 111. Sed omnis motus qui est propter finem, habito fine quiescit. Ergo vel motus caeli nunquam consequetur finem suum, & sic esset frustra; vel aliquando quiescet.

5. Praeterea. Quies est nobilior quam motus: quia secundum hoc quod res sunt immobiles, Deo assimilantur, in quo est summa immobilitas. Sed corporum inferiorum motus terminatur naturaliter ad quietem. Ergo cum corpora caelestia sint multo nobiliora, eorum motus naturaliter ad quietem terminabitur.

SO-

(1) Al. sic. (2) Vulgata: *Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet.* Vide solutionem ad secundum. (3) Al. deest illa. (4) Al. esset. (5) Al. deest nec uterque.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa istam questionem est triplex positio.

Prima est Philosophorum, qui dicunt, quod motus cœli semper durabit. Sed hoc non est consonum fidei nostræ, quæ ponit certum numerum electorum præfinitum à Deo; & sic oportet quod generatio hominum non in perpetuum duret, & eadem ratione nec alia quæ ad generationem hominis ordinantur, sicut est motus cœli, & variationes elementorum.

Alii vero dicunt, quod motus cœli cessabit secundum naturam. Sed hoc etiam est falsum: quia omne corpus quod naturaliter quiescit, & naturaliter movetur, habet locum in quo naturaliter quiescit, ad quem naturaliter movetur, & à quo non recedit nisi per violentiam. Nullus autem locus potest assignari corpori cœlesti: quia non est magis naturalis soli accessus ad punctum orientis quam recessus ab eo: unde vel motus ejus non esset naturalis totaliter, vel motus ejus non terminatur naturaliter ad quietem.

Unde dicendum est secundum alios, quod motus cœli cessabit in illa mundi innovatione, non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente. Corpus enim illud, sicut & alia, in ministerium hominis dupliciter facta sunt, ut prius dictum est. Altero autem horum ministeriorum homo post statum gloriæ non indigebit, scilicet secundum quod corpora ei deserviunt ad sustentationem corporalis vitæ: hoc autem modo corpus cœleste servit ei per motum, in quantum per motum cœli multiplicatur gentis humanum, & generantur plantæ, & alia animalia, quæ usui hominum sunt necessaria, & temperies in aere efficitur, conservans sanitatem. Unde, homine glorificato, motus cœli cessabit.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa intelliguntur de terra secundum statum istum in quo potest esse principium generationis, & corruptionis plantarum; quod patet ex hoc quod ibi dicitur: *Cunctis diebus terra semetis, & messis*: & hoc simpliciter concedendum est, quod quando terra erit messibus, & seminibus apta, motus cœli non cessabit.

Et similiter dicendum ad secundum, quod Dominus loquitur ibi de duratione seminis Israel secundum presentem statum; quod patet ex hoc quod dicit: *Et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus*: vicissitudo enim dierum post statum istum non erit: & ideo etiam leges de quibus fecerat mentionem, post istum statum non erunt.

Ad tertium dicendum, quod finis qui ibi assignatur corporibus cœlestibus, est finis proximus, quia est proprius eorum actus; sed iste actus ulterius ordinatur ad alium finem, scilicet ad ministerium humanum, ut patet per illud quod habetur Deut. 17. 16. *Ne forte oculis elevatis ad cælum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli; & errore deceptus adores ea quæ fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt*. Et ideo magis debet iudicium sumi de corporibus cœlestibus secundum ministerium hominum quam secundum finem in genere assignatum. Corpora autem cœlestia per alium modum in ministerium hominis glorificari cedunt, sicut prius dictum est; & ideo non sequitur quod frustra remaneant.

Ad quartum dicendum, quod motus cœli non est

de perfectione corporis cœlestis, nisi in quantum per hoc est causa generationis in istis inferioribus, & secundum hoc etiam motus ille facit corpus cœleste participare divinam bonitatem per quandam similitudinem causalitatis; non autem motus est de perfectione substantiæ cœli, quæ remanebit; & ideo non sequitur quod motu cessante, aliquid de perfectione cœli tollatur, secundum quod remanebit.

Ad quintum dicendum, quod omnia corpora electorum, ut infra dicitur, habebunt in seipsis quandam claritatem gloriæ: unde quamvis aliqua superficies terræ non illuminetur à sole, nullo tamen modo remanebit ibi obscuritas.

Ad sextum dicendum, quod Rom. 8. 17. super illud, *Omnis creatura ingemiscit &c.* dicit Ambrosius (Ambrosiastri) expresse, quod omnia elementa cum labore sua explent officia, sicut sol, & luna non sine labore statuta sibi implent spatia: quod est causa nosiri; unde quiescent nobis assumptis. Labor autem ille, ut credo, non significat aliquam fatigationem, vel passionem illis corporibus accidentem ex motu, cum motus ille sit naturalis nihil habens de violentia adjunctum, ut probatur I. cœli & mundi, tex. 19. Sed labor ibi intelligitur defectus ab eo ad quod aliquid tendit: unde quia motus ille ordinatus est ex divina providentia ad complendum numerum electorum, illo incompleto, nondum consequitur illud ad quod ordinatus est: & ideo similiter dicitur laborare, sicut homo qui non habet quod intendit: & hic etiam defectus à cœlo tollitur impleto numero electorum. Vel etiam potest referri ad desiderium futuræ innovationis, quam, ex divina dispositione expectat.

Ad septimum dicendum, quod in corpore cœlesti non est aliqua potentia quæ perficiatur per locum vel quæ facta sit propter hunc finem qui est esse in tali loco; sed hoc modo se habet potentia ad ubi in corpore cœlesti, sicut se habet potentia artificis ad hoc quod facit diversas domos unius modi; quarum si unam faciat, non dicitur frustra potentiam habere; & similiter in quocumque situ ponatur corpus cœleste, potentia quæ est in ipso ad ubi, non remanebit incompleta, nec frustra.

Ad octavum dicendum, quod quamvis corpus cœleste secundum suam naturam æqualiter se habeat ad omnem situm qui est ei possibilis; tamen si comparetur ad ea quæ sunt extra ipsum, non æqualiter se habet ad omnes situs, sed secundum unum situm nobiliter disponitur respectu quorundam quam secundum alium, sicut quoad nos nobiliter disponitur sol in die quam in nocte: & ideo probabile est, cum tota innovatio mundi habeat ordinem ad hominem, quod cælum in illa novitate habeat nobilissimum situm, qui est possibilis in respectu ad nostram (1) habitationem. Vel secundum quosdam cælum quiescet in illo situ in quo factum fuit: alias aliqua revolutio cœli remaneret incompleta. Sed ista ratio videtur inconveniens: quia cum aliqua revolutio sit in cælo quæ non finitur nisi in triginta sex millibus annorum, sequeretur quod tandem mundus deberet durare; quod non videtur probabile. Et præterea secundum hoc posset sciri quando mundus finiri deberet. Probabiliter enim colligitur ab astrologis, in quo situ corpora cœlestia sunt facta, considerato numero annorum qui computatur ab initio mundi; & eodem modo posset sciri certus annorum numerus in quo ad dispositionem similem re-

ver-

(1) Ita Nicolai, & supplementum. Al. habitabilem, ms. humilitatem.

verteretur. Tempus autem finis mundi ponitur esse ignotum.

Ad nonum dicendum, quod tempus quandoque deficiet motu cœli deficiente; nec illud nunc ultimum erit principium futuri: dicta enim definitio non datur de nunc, nisi secundum quod est continuans partes temporis, non secundum quod est terminans totum tempus; & de hoc dictum est in 1. dist. II. Libri, cum de æternitate mundi ageretur.

Ad decimum dicendum, quod motus cœli non dicitur naturalis, quasi sit pars naturæ, eo modo quo principia naturæ naturalia dicuntur: nec iterum hoc modo quod habeat principium activum in natura corporis, sed receptivum tantum. Principium autem activum ejus est in substantia spirituali, ut dicit Commentator in I. cœli & mundi: & ideo est inconveniens, si per novitatem gloriæ motus ille tollatur: non enim eo ablato, natura corporis cœlestis variabitur.

Alias rationes concedimus, scilicet (2) duas primas quæ sunt ad oppositum: quia debito modo concludunt.

Sed quia alia duæ videntur concludere quod motus cœli naturaliter cesset, ideo ad eas respondendum est.

Ad primam ergo earum dicendum, quod motus cessat habito eo propter quod est, si illud sequatur motum, & non concomitetur ipsum. Illud autem propter quod est motus cœlestis, secundum Philosophos, concomitat motum, scilicet imitatio divinæ bonitatis in causalitate quam habet super inferiora: & ideo non oportet quod naturaliter motus ille cesset.

Ad secundam dicendum, quod quamvis immobilitas sit simpliciter nobilior quam motus, tamen motus in eo quod per motum potest consequi aliquam perfectam participationem divinæ bonitatis, est nobilior quam quies in illo quod nullo modo per motum possit illam perfectionem consequi: & ratione ista terra, quæ est infimum corporum, est sine motu; quamvis ipse Deus, qui est nobilissimus rerum, sine motu sit, à quo corpora nobiliora moventur: & inde est etiam quod motus superiorum corporum possent poni secundum viam naturæ perpetui, nec unquam ad quietem terminari, quamvis motus inferiorum corporum ad quietem terminetur.

## ARTICULUS III.

Utrum corporibus cœlestibus claritas augeatur in illa innovatione.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod corporibus cœlestibus claritas non augeatur in illa innovatione. Illa enim innovatio in corporibus inferioribus erit per ignem purgantem. Sed ignis purgans nunquam pertingit ad corpora cœlestia, ut præcedenti distinctione dictum est. Ergo corpora cœlestia non innovabuntur per majoris claritatis susceptionem.

2. Præterea. Sicut corpora cœlestia per motum sunt causa generationis in istis inferioribus, ita & per lucem. Sed cessante generatione, cessabit motus, ut dictum est. Ergo similiter cessabit lux cœlestium corporum magis quam augeatur.

3. Præterea. Si innovato homine corpora cœlestia innoventur, oportet quod eo deteriorato fiant deteriora. Sed hoc non videtur probabile, cum illa cor-

In IV. Sent. Tom. V.

(2) Forte tres: quinque enim sunt. (3) Al. quantumcumque. (4) Al. ducitur.

pora sint invariabilia quantum ad id quod est in substantia eorum. Ergo nec innovato homine innovabuntur.

4. Præterea. Si deteriorata tunc fuerint, oportet quod tantum deteriorata fuerint quantum dicuntur esse melioranda in hominis innovatione. Sed Isai. xxx. 26. dicitur, quod tunc erit lux luna sicut lux solis. Ergo & in primo statu ante peccatum luna lucebat quantum nunc lucet sol. Ergo (3) quandocumque luna erat super terram, faciebat diem sicut facit sol: & hoc manifeste apparet falsum per id quod dicitur Gen. 1. quod luna facta est, ut præsser nocti. Ergo homine peccante non sunt corpora cœlestia diminuta in lumine, & ita nec eorum lumen augebitur, ut videtur, in hominis glorificatione.

5. Præterea. Claritas corporum cœlestium ordinatur ad usum hominis, sicut & alia creatura. Sed post resurrectionem claritas solis non cedit in hominis usum: dicitur enim Isai. lx. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor luna illuminabit te*: & Apoc. xxi. 23. dicitur, quod civitas illa beatorum non egebit sole, neque luna, ut luceant in ea. Ergo eorum claritas non augebitur.

6. Præterea. Non esset sapiens artifex qui maxima instrumenta faceret ad aliquod modicum artificium constituendum. Sed homo est quoddam minimum comparatione cœlestium corporum, quæ sua ingenti magnitudine quasi incomparabiliter hominis quantitatem excedunt; immo etiam totius terræ, quæ habet se ad cælum ut punctum ad spheram, sicut Astrologi dicunt. Ergo cum Deus sit sapientissimus, non videtur quod finis creationis cœli sit homo; & ita non videtur quod eo peccante cælum deterioratum fuerit, nec eo glorificato, melioretur.

Sed contra est quod dicitur Isai. xxx. 26. *Erit lux luna sicut lux solis, & lux solis septemplexior*.

Præterea. Totus mundus innovabitur in melius, ut supra dictum est. Sed cælum est nobilior pars mundi corporalis. Ergo in melius mutabitur. Sed hoc non potest esse, nisi majori claritate resplendeat. Ergo majorabitur, & crescet claritas ejus.

Præterea. Omnis creatura quæ ingemiscit, & parturit, expectat revelationem gloriæ futuræ filiorum Dei, ut dicitur Rom. viii. Sed etiam corpora cœlestia sunt hujusmodi, ut ibidem dicit Glossa. Ergo expectant gloriam Sanctorum. Sed non expectarent, nisi ex hoc eis aliquid accresceret. Ergo claritas eis per hoc accrescet, qua præcipue decorantur.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, ad hoc innovatio mundi ordinatur, ut etiam mundo innovato manifestis indicis quasi sensibilibiter Deus ab homine videatur. Creatura autem præcipue in Dei cognitionem (4) ducit sua specie, & decore, quæ manifestant sapientiam facientis, & gubernantis: unde dicitur Sap. xiii. 5. *A magnitudine speciei cognoscibiliter poterat Creator horum videri*. Pulchritudo autem cœlestium corporum præcipue consistit in luce: unde Eccli. xlvi. 10. *Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus*: & ideo præcipue quantum ad claritatem corpora cœlestia meliorabuntur. Quantitas autem, & modus meliorationis illi soli cognita est qui erit meliorationis auctor.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis purgans non causabit innovationis formam, sed disponet tan-

Rr

tum